



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Post poenitentiam neminem ad clericatum admittendum. xlix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

hoc est sapientiæ Dei copulari, in alienigenarum incurrit amplexus, & vinculis libidinis laqueatus, etiam sacrilegij horrore se polluit: quia simulachrum Cathmos Moabitico idolo fabricauit. Sed quia per prophetica vocem culpam erroris agnouit, nunquam misericordiæ cœlestis extorris est. At forsitan dicas: In neutro testamento lego neque eum pœnituisse, neque misericordiam consequutum.

Post pœnitentiam neminem ad clericatum admittendum. Cap. XLIX.

Illud quoque nos par fuit præuidere, vt sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum: ita & post pœnitentiam ac reconciliationem, nulli vnquam laico liceat honorem clericatus adipisci: quia quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Grauibus criminibus implicitos ad clerum admissos, magis quoque vitis inuolutos clericos officio non motos, comperit Gelasius. Cap. L.

Comperimus etiam, horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota discretione summoti, non solum de factis atrocibus necessariam pœnitentiam non habere, sed nec aliqua correptione penitus succedente, ad diuinum ministerium honoremque contendere. Nonnullos autem in ipsi ordinibus constitutos, grauibus delinquentes facinoribus non repelli, cum & Apostolus clamet: Nemini cito manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis: & maiorum veneranda constituta pronuncient, huiusmodi etiam si forte subreperint, tam qui ante peccauerunt, deiectos oportere depelli, quam sacrae professionis oblitos, prauaricatoresque sancti præpositi, proculdubio submouendos.

De illis qui loca sanctorum sub prætextu religionis inconsulte peragrant. Cap. LI.

Nam & quibusdam qui Romam, Turonumve, & alia quaedam loca sub prætextu orationis inconsulte peragrant plurimum erratur: sunt presbyteri & diacones & ceteri in clero constituti, qui negligenter viuentes

OO iiii

*Ex decre.
Syricij pa
pa, cap.
14.
Ex decre.
Gelasij pa
pa, cap.
18.
Ex conc.
Cabillon.
cui inter-
fuit Caro-
lus imper.
cap. 45.*